


Cracovien. Decimarum.

1 **Rev. Pater.** CAUSA iſthæc propoſita fuit in hoc Supremo Tribunali ſub *die* 16. *Martii* currentis anni, atque ad relationem *R. P. D. Pamphili*, Parte Adverſa non informante, prodiit favore R.D. Severini Bierzcynski Præpoſiti Pacanovienſis Principalis ſequens Reſolutio = *Circumſcriptis ſequeſtris, ac omnibus geſtis poſt Sententiam Curiæ Metropolitanæ Gneſnenſis, utatur jure ſuo* =; Poſtmodum vero repropoſita Cauſa ad relationem *R. P. D. de Simone*, ſub *die* 24. *Auguſti* proxime præteriti, non ſine ſuffragiorum diſcrepantia, immo ob præponderantiam *unius* dumtaxat *ſuffragii* emanavit Reſcriptum in parte revocatorium primi, nempe = *De appellatione a Decreto Nunciaturæ, circumſcriptis omnibus geſtis poſt appellationem*.

2 Modò autem quum tertiò eadem Cauſa reproponatur in hodierna Signatura, fugatis æquivocis, quæ Pars Adverſa in ſecunda propoſitione inſinuavit, reque etiam melius diſcuſſa, tutiſſima ſpe confidimus, Reverendiſſimos Patres ſtante apertiſſima nullitate tum *ſequeſtrorum*, tum *Decreti* Sacræ Nunciaturæ, ac per conſequens *omnium ſubindè geſtorum* in Curia Epiſcopali Cracoviæ, reſponſuros fore = *In primo loco deciſis* =, aut, ſi magis placeat Reverendiſſimis Patribus, favendo etiam Parti Adverſæ, hoc alio modo, nempe = *Circumſcripto Decreto Nunciaturæ, & omnibus ſubindè geſtis in Curia Cracovienſi, quoad ſequeſtra S. P., in reliquis de cauſis à Sententia Curiæ Metropolitanæ Gneſnenſis* =, quemadmodum pro uno, aut altero Reſcripto humillime exoramus.

3 Retenta Facti ſerie, late, ac deſtincte recenſita in *prima noſtra Informatione*, quam unacum *Summario* reaſſumere ſupplicamus, nullitas Decreti Sacræ Nunciaturæ, quo circumſcripſit Sententiam Curiæ Metropolitanæ Gneſnenſis, Cauſamque ad Curiam Epiſcopalem Cracovienſem remiſit, magis clara, ac perſpicua eſſe nequit, ſive Dominus Auditor Nunciaturæ proceſſerit in repræſentantiam *Supremi Principis, & Signaturæ*, prout ſub hoc fundamento evincere validitatem dicti Decreti unice conata fuit Pars Adverſa in fere tota *præterita contraria Informatione*, ſive proceſſerit tamquam Judex *appellationis* à Sententia Metropolitani.

4 Profecto, ſi Pars Adverſa adhuc ſuſtineat, Dominum Auditorem Nuncii Poloniæ proceſſiſſe in repræſentantiam *Supremi Principis, & Signaturæ*, nulliter, & irregulariter proceſſit; Quamvis enim Eminentiſſimi Legati *de Latere*, qui præcipue ablegantur ad Provincias Status Pontificii, ut

ſunt illi *Ravennæ*, *Bononiæ*, *&* *Ferrariæ*, habeant Jura *Supremi Principis*, ſeu, ut dicitur, *Signaturam in ventre*, prout de his taxative loquitur Conſtitutio *Sanctiſſimi Domini Noſtri* in ejus *Bullar. tom.*1. *la* 115., *&* *Authoritates*, quæ exadverſo allegabantur, nihilominus non inde inferri poteſt, quod eàdem *extraordinariò* poteſtate *Supremi Principis*, *&* *Signaturæ* potiantur Legati *Miſſi*, ſeu *Nuncii*, qui ad exteras Nationes à Pontifice mittuntur, niſi hæc poteſtas *litteraliter* ipſis detur in Litteris Apoſtolicis, quia valde differunt inter ſe Legati *de Latere*, & Legati *Miſſi*, ſeu *Nuncii*, nec quæ competunt Legato *de Latere*, competunt Legato *Miſſo*, ſeu *Nuncio*, ut advertit cum aliis *Argirò diſcept. eccleſ.*34. *num.*4. *lib.*2. *tom.*1. ibi = *Alii ſunt Legati, qui non emanant, ſed conſtituuntur, & eis ſpecialiter aliquid committitur exequendum, cap. Volentes de offic. Legat.: ille enim, quem non Cardinalem mittit Summus Pontifex cum poteſtate legationis &c. NUNCIUS, ſive Internuncius appellatur, exemplo de Nuncio, qui mittitur Cæſari, Regi Hiſpaniarum, Franciæ, POLONIÆ, Portugalli, ac de ſimilibus &c., EA ENIM EST DIFFERENTIA inter Legatum natum, Legatum de Latere, & Legatum MISSUM, ſive NUNCIUM; nam non omnia, quæ competunt Legato de Latere, videntur competere Legato nato, ſivè MISSO.*

5 Nec obſtat, quod Nuncii Apoſtolici mittantur *cum facultatibus Legati de Latere*, unde eamdem habere debeant poteſtatem, quam Cardinales Legati; Contrarium namque receptum eſt, quod nempe *Nuncii* etiam miſſi *cum facultatibus Legati de Latere* non omnia facere poſſint, quæ poſſunt Legati de Latere, itaut *ſpeciales*, *&* *extraordinariæ* facultates Legatorum de Latere non protendantur ad Legatos Miſſos, ſeu Nuncios etiam *cum facultatibus Legati de Latere*, niſi quatenus in Brevi, ſeu Litteris ſpecifice exprimantur, quemadmodum ſine Contradictore ullo punctualiter per *Text. in cap.*1. *de Offic. Legat. in* 6. firmant *Barboſ. Jur. Eccleſ. uncv. cap.*5. *num* 4., *Eraſmus à Cockier de Juriſdict. Ordinar. in Exempt. part.*2. *quæſt.*2. *num.*5., *Piaſec. in prax. Epiſcop. part.*2. *cap.*5. *num.*9., *Pignatell. conſult. canon.*1. *num.*7. *tom.*2. ibi = *Et quamvis in Brevi pro quibuſdam Nunciis contineatur clauſula, cum poteſtate Legati à Latere, tamen advertendum eſt, illam non operari, quod poſſit Nuncius ea omnia facere, quæ poteſt Legatus, quemadmodum ad rem firmata Cocker &c.*

6 Et clarius *Reiffenſtuell. in Jus Can. lib.*2. *tit.*30. *de Offic. Legat. num.*41. *& ſeq.* ibi = *Quæritur V. utrum Nuncii Apoſtolici cum poteſtate Legati a Latere miſſi eamdem cum Legatis Cardinalibus poteſtatem habeant; Reſpondeo, ſpeciales, ac extraordinariæ conceſſiones Legatorum à Latere,*

non

non extenduntur ad Legatos non Cardinales cum potestate Legati a Latere missos, nisi quatenùs illæ exprimuntur in Litteris Legationis ipsorum, ita Barbos &c. =, & aliis omissis rectè *Engel. pariter in Jus Can. eod. tit. num. 7.* ibi = *Verum mihi semper probabilius visum est, tantum interesse inter verum Legatum de Latere, & Nuncium Missum cum potestate Legati a Latere, quantum interest, an quis habeat jurisdictionem ordinariam a lege, vel tantum specialiter demandatam, an quis sit Episcopus, vel tantum Vicarius Episcopi, Cardinalis, vel Vicesgerens, Dominus, vel tantum Procurator cum generali mandato* =

7 Ratio est evidentissima, quia Legati a Latere, nempe Cardinales Legati potestatem, & jurisdictionem suam recognoscunt *à Jure*, itaut ipsis neque dentur à Pontifice Legationis Litteræ, *Argirò discep. Eccles. 34. num. 5. lib. 2. tom. 1.*; Legati autem, qui non sunt Cardinales, & mittuntur ad exteras Nationes etiam *cum facultatibus Legati de Latere* non recipiunt jurisdictionem *à Jure*, sed à mandato Pontificis, & iisdem expediuntur Brevia, seu Litteræ Legationis, proptereaque titulus ille = *cum facultatibus Legati de Latere* = non reperitur *in Jure* scriptus, & per consequens Nunciis vigore hujus tituli non adscribitur *à Jure* specialis potestas, sed ille titulus adiicitur Legatis Missis dumtaxat *de stylo Curiæ Romanæ*, uti prosequuntur *Doctores* supra allegati, & præsertim *Reiffenstuell. loc. cit. num 42.* ibi = *Ratio est, quia titulus ille Nuncii Apostolici cum potestate Legati à Latere non habetur ullo jure scripto, sed solum DE STYLO CURIÆ ROMANÆ solet adiici Legatis missis, quia a Papa vivæ vocis oraculo mandatum acceperunt, ac fimbriam vestimenti ejus tetigerunt, ut quod salui sint, & privilegiati &c.* =, & *Engel loc.* pariter *cit. num. 7.* ibi = *Etenim hic titulus cum sit de jure scripto incognitus, & TANTUM DE STYLO CURIÆ usitatus, ideo etiam NULLA SPECIALIS POTESTAS IPSI ADSCRIPTA EST.*

8 Replicare nec juvat, quod verba illa = *cum facultatibus Legati de Latere* = forent superflua, quia operantur relative ad ea, quæ ex privilegio Nunciis conceduntur in ampliori forma, quam aliis Legatis, prout respondent *cit. Engel ibid. num. 7. in fin.* ibi = *Item non obstat cap. Si Papa* 10. *de Privileg. in 6., ubi dicitur, quod verba Papæ aliquid operari debeant, nihil autem operarentur, si Nuncius cum potestate Legati de Latere missus non haberet majorem potestatem, quàm alius Nuncius, respondeo enim, talia verba operari relativè, quia se referunt ad Mandatum Pontificium, & Privilegium, quod in ampliori forma datur talibus Legatis, quam aliis, & ut compendio dicam, potestas istorum Legatorum non ex titulo, seu clausula, sed titulus*

ex potestate in Litteris commissionis inserta desumitur =, *Reiffenstuell. loc. supracit. num.*43. ibi = *Dictam clausulam non superfluere, sed operari ralativè: quia se refert ad Mandutum Pontificium, & concessiones in eo contentas, quæ iu ampliori forma solent dari talibus Legatis, quàm aliis* =, & *Pignatell. consult. canon.* 1. *num.* 8. *tom.* 2. ibi = *Id autem comprobatur exeo, quod in Brevibus Nunciorum expressa sunt illa omnia, quæ Sedes Apostolica voluit illis coucedere, quorum respectu verificari potest dicta clausula, cum potestate Legati de Latere, ut ea possint exercere cum præfata potestate.*

9 Si ergo Nuncii Apostolici, qui mittuntur ad exteras Nationes etiam *cum facultatibus Legati de Latere* non æquiparantur in potestate veris Legatis de Latere, qui sunt Cardinales, nec vigore supradicti tituli habent speciales, & extraordinarias facultates, quas sortiri solent Cardinales Legati, sed totam potestatem non aliundè metiri possunt, quam ab expressis in *Litteris* Legationis, sique Pars Adversa non profert in medium Breve PontificiumReverendissimi Nuncii Poloniæ, in quo concedantur Iura *Supremi Principis, & Signaturæ* eo modo, quo habent Cardinales Legati, meritò proinde diximus, quod D. Auditor Nunciaturæ *nulliter* ex defectu jurisdictionis processit ferendo Decretum circumscriptionis Sententiæ Metropolitani, & remissionis *ex integro* Causæ ad Curiam Cracoviensem, ut in *præterito nostro Summario numer.* 1. *Litt. A*; præcipuè verò quia Partes recursum habuerunt ad Nuncium non in figura *Supremi Principis, & Signaturæ*, sed in figura Iudicis *Appellationis*, quapropter in hypothesi etiam, quod Nuncius haberet *Signaturam in ventre*, adhuc in casu *nulliter* processisset, procedendo in figura *Signaturæ*, quando juxta recursum, ad eum habitum, procedere debebat in figura Iudicis *Appellationis*.

10 Demonstrata hactenùs est nullitas Decreti Sacræ Nunciaturæ, quatenùs Auditor ejusdem processerit in figura *Supremi Principis, & Signaturæ*; Si verò processit, prout procedere debebat in figura dumtaxat Iudicis *Appellationis*, nullitas ejusdem Decreti, quæ viam aperit petitæ illius circumscriptioni, magis tuta, ac certa est.

11 Constat namque in facto, quod *Instigator* Curiæ Episcopalis Cracoviæ, necnon Præpositus *Szezvcinen*, & Præpositus *Sborevecen* Adversarii, recurrentes à Sententia definitiva Metropolitani, lata anno 1747., atque *in Iudicatum* transactà, de qua *nostro præterito Summario numer.* 13. ad Sac. Nunciaturæ Tribunal, coram Auditore ejusdem præmissa citatione *ad Sententiam definitivam, dicto nostro Summario numer.* 1. ibi = *Coram D. Andrea Vincentio Butio Reverendissimi Nuncii &c. Auditore &c. comparens supradictorum APPELLANTIUM Procurator in termino hodierno ex CITA-*

TIO-

TIONE AD SENTENTIAM DEFINITIVAM ferendam &c. in Causa occasione Decimarum &c. inter supradictas Partes mota, & vertente &c. postularunt = *SENTENTIAM DEFINITIVAM FERRI*) prosequuntur verba Instantiæ Adversariorum in cit *Summario numer.* 1.) *eaque mediante, BENE APPELLATUM per suos Principales, MALE VERO IUDICATUM per judicium à quo pronunciari &c* = E' converso autem pro parte Præpositi Pacinoviensis Principalis petebatur pronunciari = *MALE' APPELLATUM fuisse, BENE' VERO PRONUNCIATUM per Iudicium Metropolitanum Gnesnensem, & in summariissimo possessorio manutentionis &c. Sententiam ejusdem Iudicii Metropolitani &c. approbari &c., ex Process.*

12 Hoc posito *nulliter sanè, & irregulariter* processit D. Auditor Nunciaturæ, quia eo ipso, quod Adversarii *Appellantes* non opposuerunt ass. nullitatem Sententiæ Metropolitanæ, nec circumscriptionem eiusdem petierunt, sed dumtaxat ex parte eorumdē Adversariorum petita fuit definitio Causæ *super merito, seu negotio principali*, infirmatio videlicet Sententiæ per viam solius *injustitiæ* : ex parte verò Principalis confirmatio ejusdem, sequitur, quod *nulliter, & irregulariter* Audito Nunciaturæ promulgaverit simplex Decretum *pro circumscriptione* Sententiæ Metropolitani, & *remissione* Causæ ad CuriamCracoviensem loco definiendi negotium Principale, contra ipsam Instantiam, & petitionem Partium, cui in pronunciando Iudex sese uniformare debet, aliàs nulliter procedit juxta expressos *Text. in Leg. Vt. fundus ff. Commun. dividund., & in cap. qualiter, & quando* 24. *de Accusat, & in Clement. sæpe contingit de Verb. signif.* ibi = *Verum qui, IUXTA PETITIONIS FORMAM PRONUNCIATIO SEQUI DEBET* =, & consentaneè docet *Pirhing. in Decretal. lib.* 2. *tit.* 27. *de Sentent. & re judicat. numer.* 31., *& Marant. part.* 6. *tit. de Sentent numer.* 6.

13 Non solum verò Decretum Sacræ Nunciaturæ est *nullum* veluti penitus difforme petitioni, & libello Partis appellantis, sed etiam est *nullum*, quia non absolvit judicium appellationis ad se devolutum, pronunciando *benè appellatum, & malè judicatum; vel malè appellatum, & benè judicatum*, sed circumscripta Sententia Metropolitani Causam super meritis decidendam *ex integro* remisit ad ipsam Curiam Cracoviensem, quæ aliàs in Causa pronunciaverat, quæque non una, sed pluribus vicibus gravaverat R. D. Principalem, *ut in nostro præterito Summario numer.* 7. 8. 10. 11., & 16., qui proinde à Iudicatis dictæ Curiæ Cracoviensis toties appellaverat, ut in *præterito nostro Summario numero* 9., & 10. *lit. E.*

14 Hunc autem procedendi modum improbant quàm maximè *Leges* tùm *civiles* tùm *Canonicæ*, quæ normam procedendi Iudi-

ci Appellationis præscribentes, jubent, quod Judex Appellationis cognoscat de Causa, & Sententià suà provocationem justam, *vel injustam* pronunciet; ex *nulla* verò *occasione* Causam ad Iudicem, qui aliàs alteram ex Partibus gravavit, remittat, ut apertus est *Text. in Leg. Eos qui C. de Appellat* ibi *Eos qui DE APPELLATIONIBUS cognoscent, ac judicabunt: ITA IUDICIUM SUUM PRÆBERE CONVENIET, ut intelligant, quod eum appellatio post decisam litem Sententia interposita fuerit, NON EX OCCASIONE ALIQUA remittere negotium ad Judicem suum fus sit, sed OMNEM CAUSAM PROPRIA SENTENTIA DETERMINARE CONVENIAT: cum salubritas legis constitutæ ad id spectare videatur, ut post Sententiam, ab eo, qui de appellatione cognoscit, recursus fieri non possit ad Iudicem, a quo fuerit provocatum: Quopropter remittendi Litigatores ad Provincias* (scilicet ad eundem Iudicem, qui primo judicaverat juxta *glos.* in eodem *verb. ad Provincias*) *REMOTAM OCCASIONEM, ATQUE EXCLUSAM PENITUS INTELLIGANT. CUM SUPER OMNI CAUSA INTERPOSITAM PROVOCATIONEM vel injustam TANTUM LICEAT PRONUNCIARE, vel justam* = *& in cap. Ut debitus de Appellat.*, ubi *Glos. in verb. Alioquin* ibi = *Si vero appellatur à definitiva, tunc Judex DEBET COGNOSCERE DE MERITIS CAUSÆ, & videre, an benè, vel malè fuerit judicatum, & si benè fuit Judicatum, confirmabit Sententiam, vel cassabit, si malè Judicatum fuit* =

15 Et communiter docent tùm *Civilistæ, inter quos Bartol. in dicta Leg. Eos, qui numer.* 1. ibi = *Judex ad quem appellatur, DEBET DE CAUSA COGNOSCERE, & JUDICARE, non autem eam AD PRIMUM JUDICEM REMITTERE* = *Bald. ibidem num* 1. ibi *Ad eum, qui gravavit non debet remitti Appellatio terminanda, sed Judex Appellationis PRONUNCIARE DEBET Appellationem justam vel injustam* =, *Gaill. lib.* 1. *observ.* 131. *num.* 1., *& Scacc. de Appellat quæst.* 2. *numer.* 85., *& quæst.* 2. *numer.* 52, tùm Canonistæ inter quos *Barbos. in cit. Cap. ut debitus numer.* 7., *Reiffenstuell in Jus Can. lib* 2 *tit* 28. *de Appellat.* 7. *numer.* 209, *&* §. 8. *numer* 231. ibi = *Respondeo secundo quando appellatur a definitiva tunc Judex ad quem cognoscens de meritis Causæ DEBET JUDICARE, an benè, vel malè fuerit judicatum, & si quidem benè, confirmabit priorem Sententiam, pronunciando, quod sit benè judicatum, malè Appellatum, sin autem malè, cassabit illam priorem Sententiam, pronunciando benè Appellatum, malè judicatum: NEQUE LICEBIT EIDEM CAUSAM AD JUDICEM A QUO NULLATENUS REMITTERE, sed tenetur eam*

PRO-

PROPRIA SENTENTIA TERMINARE =, *& Schmalzgrueb. in Jus Can. eod tit. num.* 98.

16 Neque opponatur, quod etiam Judex appellationis queat per viam nullitatis circumscribere Sententiam Judicis à quo, ubi cognoverit, illam aliquo nullitatis vitio laborare; Id enim libenter concedimus, sed dicimus in primis, posse Judicem appellationis circumscribere Sententiam primi Judicis, quando Pars appellans nullitatem opponat, & ejus circumscriptionem petat; secùs verò, si Pars appellans Juri suo tacitè renunciando, ex capite dumtaxat *injustitiæ* revocationem Judicati à quo postulet, proùt contigit in casu nostro, ubi Domini Adversarii circumscriptionem Sententiæ Metropolitani non petierunt, ex quo Metropolitanus *attentatè* pronunciasset in Causa, dum adhùc indecisa penderet in Curia Cracoviensi, vti *falsò*, *& erroneè* opinatus fuit Dominus Auditor Nunciaturæ, *in citato præterito Summario num.* 1. *litt. B.*; Undè Parte Adversa non petente, neque urgente revocationem attentatè, ut asseritur, gestorum in Curia Metropolitana, neque etiam Domino Auditori Nunciaturæ ea revocare, & circumscribere licitum erat, ad *Text. in cap Non solum de Appellat. in* 6., & advertunt in praxi *Abbas in cap. Dilectis num.* 13., *&* 14. *de Appellat.*, *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancellariæ Glofs.* 56. *num.* 63., *& seq.*, *Reinffenstuell. in Ius Canon. lib.* 2. *tit.* 28. *de Appellat.* §.9 *numer.* 255, *& numer.* 256., ibi = *Intellige tamen dictam conclusionem de Appellatione à Sententia diffinitiva &c. Insupèr illam intellige PARTE ADVERSA VOLENTE, hoc est, DVMMODO PARS ADVERSA VELIT NVLLITATEM hujusmodi Attentatorum, ac proindè DEBITE' PETAT IPSORVM REVOCATIONEM; alioquìn enìm censeretur TACITE' EADEM APPROBARE, ATQVE IVRI SVO RENVNCIARE, quod facere non prohibetur cap. Si diligenti &c.* =

17 Prætereà Judex Appellationis potest quidem Judicatum à quo tamquam nullum circumscribere, sed una simùl debet etiam pronunciare super Negocio principali, Causàmque propria Sententia absolvere juxtà praxim Reverendissimis Patribus notissimam; numquam verò numquam potest Judex Appellationis cognoscere duntaxàt de nullitate Judicati à quo, hocque circumscripto, Causam super meritis principalibus absolvendam remittere ad illum primum Judicem, à quo appellatum fuerat, quique aliàs alteram ex Partibus gravaverat, quia ad eum, qui semèl gravavit, Causa ampliùs remitti non potest, *cum salubritas legis constitutæ* (sunt verba *citat. Text. in leg. Eos qui* hic repetendi) *illud spectare videatur, ut post Sententiam ab eo, qui de Appellatione cognoscit, recursus fieri non possit ad Judicem, à quo fuerit provocatum* =, & notant præter Authoritates suprà allegatas *Bald. in eadem leg. Eos qui sub numero primo*, ibi = *Nota, quod quis* NON

EST

EST REMITTENDVS AD IVDICEM, QVI SEMEL GRAVAVIT l. Perfecti ff. de Minor. &c., & Schmalzgrueb. in Ius Canon. lib. 2. tit 28. de Appellat. numer. 98. , ubi reddit rationem , ibi = *Ratio est , quia AD EVM , QVI SEMEL GRAVAVIT , CAVSA REMITTI NON DEBET , CVM PRÆSVMATVR ETIAM IMPOSTERVM GRAVARE VELLE.* =

18 Hinc inutilitèr *in præterita contraria Informatione* §.18. 19. 20. , & 21. contra Sententiam Metropolitani Judicis objiciebantur aliquæ prætensæ nullitates , ob quas meritò dicta Sententia fuerit à Domino Auditore Nunciaturæ circumscripta ; Tùm quia , quatenùs subsisterent , hodiè non sunt proponibiles coram hoc Supremo Tribunali , ubi Pars Adversa non porrigit Commissionem pro circumscriptione dictæ Sententiæ, sed pro parte dumtaxàt Principalios datur Commissio pro circumscriptione Decreti Sacræ Nuncieturæ , unde quærendæ sunt nullitates hujus Decreti Nunciaturæ , quæ , sicuti sunt undequaque , ut demonstravimus , patentissimæ, ità viam aperiunt illius circumscriptioni , non autem hodiè inspiciendæ sunt ass. nullitates præfatæ Sententiæ Metropolitani ; Tùm quia ejusmodi ass. nullitatibus iàm renunciavit Pars Adversa, dùm eas non proposuit coram Tribunali Nunciaturæ , sed iis tacitè renunciando, petiit dumtaxàt Sententiam revocari ex solo capite *injustitiæ* , ut probatum est supra §.16.; Tùm quia eo ipso , quod eadem Pars Adversa appellavit à dicta Sententia , & ad Judicem Appellationis recursum habuit , *viam ordinariam* elegit , proptereàque eas contra nos ad summum obiicere poterit coram solo Judice Causæ , seù Appellationis , ut nos docuit ipsa *præterita contraria Informatio* §. 28. , & 29.

19 Tùm demùm quia , ut Parti Adversæ, non Causæ necessitati satisfaciamus , non subsistunt ass. inexcusabiles nullitates Sententiæ Curiæ Metropolitanæ; Nàm non subsistit nullitas ex præcipitantia deducta , quia in primis , ut Pars Adversa probaret , Judicium fuisse absolutum sub una die , & sub unica Instantia , omnia Acta gesta in Curia Metropolitana transportare deberet , prætereà contrarium patet ex *præsenti Summario in calce n.2. unic.* ubi post fundatam Jurisdictionem , postque plures hinc indè factas Instantias . Agitur Citatio ad Sententiam pro absolutione Judicii ; Multoque minùs regit altera ex defectu Citationis , quia præter Responsiones superiùs datas , Præpositus Szezucinensis comparuit in Curia Metropolitana nomine tàm *proprio* , quàm *Instigatoris* Curiæ Cracoviensis , ut in eodem *præsenti Summario num. unic.* Rursùs tertia nullitas ex defectu transportationis Actorum Judicis primæ Instantiæ æquè frivola est , quia contrarium patet , tùm ex ipso *contrario Summario num.9 litt. A.* , ubi Judex Metropolitanus testatur , vidisse omnia Acta primæ Instantiæ , ibi

ibi = *VISIS ACTIS PRIMÆ INSTANTIÆ* =, tùm *ex nostro præterito Summario num.* 13., ubi pariter testatur, vidisse omnia Acta primæ Instantiæ, & alia Jura hinc indè novitèr coram eo deducta.

20 Deniquè omnium levissima est quarta ass. nullitas, elicita ex quo Causa indecisa penderet in Consistorio Curiæ Cracoviæ, quia id apertè falsum est, dùm Anno 1743. Ven. Consistorium Curiæ Cracoviæ Judicium super controversis Decimis absolvit *per definitivam Sententiam*, de qua *in nostro præterito Summario num.* 8., & à qua Rev. Dominus Principalis appellaverat ad Metropolitanum, ipso *contrario Summario num.* 8. *in principio*, *&* *nostro Summario num.* 9; Haud obstante, quod Metropolitanus per Decretum Causam remisisset ad idem Consistorium Cracoviæ, ex quo venerant ad Causam alii novi Collitigantes, *nostro præterito Summario num.* 9 *litt. A.* sivè quia Iudex Metropolitanus potuit ab hoc *simplici* Decreto reponere, & Causam vigore primæ Appellationis reassumere, sivè quia post dictam remissionem Causæ, Consistorium Cracoviense *Sequestrum* contra Principalem expedivit, *nostro præterito Summario num.* 10., necnon *GRAVANTISSIMUM* contra eumdem Principalem promulgavit interlocutorium Decretum, quod legere supplicamus *in dicto nostro Summario num.* 11., *&* 12., à quibus omnibus gravaminibus, & etiam nullitatibus vigore Appellationis à Reverendo Domino Principali iterùm interpositæ, *citato Summario num.* 11. *litter. B.*, *&* *C.*, Causa devoluta extitit ad Iudicem Metropolitanum.

21 Si ex hactenùs deductis circumscribendum est Decretum Sacræ Nunciaturæ, circumscribenda quoque venit *tertia* vltima Sententia Curiæ Cracoviensis, lata contra Rev. Dominum Principalem in ejus Contumaciam sub Anno 1750., de qua *nostro præterito Summario num.* 1. *litter. F.*, non solùm ex rationibus deductis, *in præterita nostra Informatione* §. 22., *&* 23., sed veluti sequela præfati Decreti remissivi Auditoris Nunciaturæ *nullitèr*, & contra omnem Iudicii ordinem lati.

22 Quod pertinet verò *ad Sequestra* apposita super controversis Decimis, in quarum perceptionis Possessione reperiebatur Rev. Dominus Principalis nedùm vigore Privilegiorum, sed etiam Sententiæ ipsius Curiæ Cracoviensis de Anno 1738., ut in *nostro præterito Summario num.* 5., *&* 6., meritò illa circumscripta quoque fuerunt in prima Causæ Propositione, quum illa nedum *nullitatis*, sed *apertissimi Spolii* vitio laborent; Nàm utrumque Sequestrum, illud nempe Anni 1742., de quo *nostro Summario num.* 7., & alterum Anni 1745., de quo *eodem Summario num.* 10. expeditum dignoscitur *non citato*, *neque audito Rev. Domino Principali*, sed extorta fuere ab Instigatore Curiæ Cracoviensis mediante Libello, seù

Me-

Memoriali, *subdolè, & clanculùm* porrecto Episcopo Cracoviæ de ipso tempore, quo Lis pendebat in Ven. Consistorio Curiæ Cracoviensis, prout recognosci potest in sæpedicto *nostro Summario num. 7., &* 10., itàut quidquid dicatur in præterita *contraria Informatione* §. 27., statìm apertè innotescat, quod fuerint expedita *non citato, neque audito Principali*, eo ipso quod Instigator illa obtinuit per medium *libelli*, porrecti non Ven. Consistorio, ubi Lis pendebat, sed ipsimet *Episcopo*, coram quo Lis non pendebat.

23 Præterea scitum est, quod in judiciis numquam incipiendum est ab executione, undè sicuti sequestra sunt species quædam executionis ad expressum *Text. in leg. Vnica Cod. de Inhiben. sequestr.*, & docent, *Gratian. discept. forens. cap. 42. num. primo, Ridolphin. in prax. par. 2. cap. 12. num. 324., Post. de manutent. obseru. 75. num. 21. & seqq., & Rot. coram Molines decis. 434. num. primo & 2. tom. 2.* ibi = *Nullitas, inquam, quia sicuti litis exordium sumi nequit ab executione, ita absque ineuitabili nullitatis vitio inchoari non potest à sequestro, quod est species executionis iuxta tritissima principia &c* =, ita tamquam à jure improbata, utpotè expedita contra ordinem Judicii, veniunt revocanda, atque circumbenda ab hoc Supremo Senatu, juxtà firmata per *Cardinal. de Luc., de Iudic. disc. 13. num. 2., Scacc. de appellat. quæst. 19. remed. primo conclus. num. 2. & 4., & per Rot. in Romana Reuocationis Sequestri 4. Martii* 1703. *§. Minus obstat coram Muto.*

24 Pars Adversa agnovit semper nullitatem sequestrorum, sed opponebat, circumscriptionem non posse hodie postulari in hoc Supremo Tribunali, eo quia Principalis *via ordinaria* petierit revocationem dictorum sequestrorum; Sed errat quàm maximè, quia non solùm eadem Pars Adversa non probat, quod coram Curia Episcopali Cracoviæ R. Principalis petierit revocationem sequestrorum via ordinaria, sed potiùs contrarium patet ex solemni protestatione, à Principali emissa, de qua *in præterito nostro Summario num. 14. lit. B.*, ubi etiam sibi reservavit omnia *Iuris* beneficia ibi = *Saluis omnibus Beneficiis iuris suo Principali in toto reseruatis* =; quapropter percipi non potest, quarè hoc Sacrum Tribunal, Supremi Principis jura repræsentans, non possit circumscribere *ex integro* supradicta sequestra, adeò *irregulariter, nulliter, & spoliatiuè* expedita contra Reverendum Dominum Parochum Pacanoviensem Principalem, qui hoc interim privatur perceptione controversarum Decimarum, in quarum perceptione jàm reperiebatur, & super quibus jàm habet favorabilem Sententiam manutentionis Judicis Metropolitani, *dicto præterito Summario num. 13.*

Po-

25 Postremo tandem loco æque justa fuit prima hujus Supremi Tribunalis resolutio in ea parte, ubi additum fuit = *vtatur iuro suo* =; Quandoquidem, quùm à Sententia definitiva Curiæ Metropolitanæ Domini Adversarii appellationem non interposuerint, quemadmodum patet ex *Actis transportatis*, nemini dubium esse potest, quin *in rem judicatam* transiverit, quæ noscitur ipso jure, si infra terminum decem dierum à succumbente legitimè appellatio non fuerit interposita juxtà vulgatos *Text. in cap. Quoad consultationem* 15. *de elect.*, & *re iudicat.*, & *in Auth. Hodie Sod: de Appellat.*; sequitur, quod stante hujusmodi re judicata, contra eam nihil opponi possit, nisi Pars Adversa cum *speciali Commissione* recurrat ad hoc Supremum Tribunal, eamque signari obtineat cum clausula = *de causis restitutionis in integrum*. =

26 Concludimus igitur, quod in hac tertia Causæ propositione rescribendum est = *in primo loco decisis* = nempè = *circumscriptis Sequestris*, & *omnibus gestis post Sententiam Curiæ Metropolitanæ Gnesnensir*, *vtatur iure suo* =, aut, ut sub initio dicebamus, in omnem pessimum casum ad favendum etiam Parti Adversæ rescribi saltem potest hoc alio modo = *Circumscripto Decreto Nunciaturæ*, *ac omnibus subindè gestis in Curia Cracoviensi*, *quoad Sequestra sinè præjudicio*, *in reliquis de causis à Sententia Curiæ Metropolitanæ Gnesnensis* =, proùt iterùm enixè supplicamus.

Quare &c.

Antonius Dominicus Franci.

SUMMARIUM

Die 14. Aprilis 1747.

Num. Vnic.
Instantia facta coram Curia Metropolitana pro promulgatione Sententiæ de qua in præsenti Sum. n. 13.

PRo Perillustri, & Reverendissimo Domino Severino Bierzprski &c. Præposito Pactinovien. &c. Principali appellante, & recurrente contra &c. Dominum Franciscum Czernii &c. Præpositum Mathakovski &c. in Zborovek Curatum citatos appellatos.

Coram Perillustri Admodum Reverendo Domino Adalberto Piaggia &c. Causarum Curiæ &c. Archiepiscopi Gnesnen. &c. Judice sub ogato: Comparens personalitèr Venerabilis Josephus Scivoslavl-

ki

ki &c. supradicti &c. Appellantis &c. Procurator in termino hodierno *ex citatione ad ferendam Sententiam definitivam* in Causa infrascripta, & Tribunali præsenti Metropolitano emanata debitè, ut apparebat executa &c. in causa inter supradictum &c. Appellantem Principalem &c. ex una, & dictos &c. Prepositum Szczucinen., ac &c. Rev. Matlakouski &c. in Zborovek Curatum &c. *nomine tàm suo, quàm Instigatoris Curiæ Episcopalis Cracovien. Agentis* ratione Decimarum Manipularium de Agris Bonorum Szczebrus, aliisque ad Ecclesiam Parochialem Paconovien. Diœcesis Cracovien. spectan. &c. pro Ecclesiis autem Szizucinen., & Zborovecen. prætensarum citatos appellatos partibus ex altera, primo in Judicio Consistoriali Generali Cracoviæ mota, & decisa, ac demum via appellationis, seù recursus ad Judicium præsens Metropolitanum devoluta, jam aliàs *post admissam appellationem, fundatamque hac in Causa Jurisdictionem Judicii præsentis Metropolitani, factasque controversias*, & nihil novi &c. deductum, eeassumpta, ac datam in scriptis pro appellantem Principale suo Informationem, *ante omnia* attentata quævis pendente Causa præsenti in Tribunali præsen. Metropolitan. per Judicium à quo facta, *& respectivè sequestrum* ad Instantiam Vicarii Fiscalis Consistorii Generalis Cracovien., super dictis Decimis Decretum cessari, *in principali verò Causæ negotio, malè per Judicium à quo judicatum, benè autem per Principalem suum Appellatum pronunciari.*

Signatura Justitiæ

R. P. D.

DE SIMONE

Cracovien. Decimarum.

PRO

Ven. Ecclesia Parochiali Pacanovien., ac Rev. D. Michaele Severino Bierzynski.

CONTRA

RR. DD. Istigatorem Fiscalem Curię Episcopalis Cracovien., necnon RR. DD. Præpositos Szczezucinen., & Zborovecen., & litis &c.

Memoriale Facti cum Reassumatur, & Summario in tertia Propositione.

Reproponam die Jovis 14. Dec. 1752.

Pro I. de Simone.

Typis Bernabò 1752.

Druki urzędowe

dotyczące drzewa

różnych województw polskich

20.000